

det; et sic juramentum tunc destituit suo fine, cessatque dicta præsumptio.

493. *Quid si prius deponant, et postea jurent?* — Additur tamen in conclusione, « probabilius non valet. » Nam, quod præfatus ordo non sit substantialis, adeoque valeat testimonium, si testis prius deponat, et postea primum juret, non pauci, præsertim ex antiquioribus, tenent; uti videre est apud auctores proxime relatos. Accedit Gailus lib. I. *Practic.* observat. 101. n. 7. in camera receptum esse, quod depositio testis, ante juramentum facta, eatenus valeat, si post eam incontinenti sequatur juramentum: tunc enim dictum testis censetur juramento informatum, juxta illam regulam: « Quæ incontinenti apponuntur, censentur inesse, » l. *Juris gentium.* § *Quinimo.* ff. *de Pactis.* cum similibus.

494. *Testis debet jurare præsentem adversario.* — Resp. III. Testis debet jurare præsentem adversario, et depositionem juramenti audiente: nisi forsitan citatus, contumaciter absit. Ita Speculator tit. *de Teste.* § *Sequitur.* n. 4. et communis; patetque ex cap. II. h. t. et dictis supra § 413. 418. et 421. ac seqq.

495. *Nisi forsitan citatus, contumaciter absit.* — Additur notanter, « nisi forsitan citatus contumaciter absit. » Quia, si debite fuerit citatus adversarius, et tamen noluerit venire, et quidem contumaciter (hoc est, « non ex inevitabili quadam necessitate » præpeditus, ut loquitur textus in cit. cap. II. h. t. sed forsitan malitiose sua absentia impeditur receptionem testimonium) perinde testimonia receptorum testimonium valebunt, ac si ipso præsentem facta fuissent. Textus est in d. cap. II. h. t. et in Auth. *de Testibus.* § *Et hic vero.* collat. 7.

496. *Et quid, si adversarius justa de causa venire nequiverit.* — Quod, si vero citatus adversarius ex inevitabili quadam necessitate, sive (ut explicat Glossa in cit. cap. II. § *Inevitabili.* h. t.) justa de causa detentus, venire nequiverit: tunc probata postmodum tali causa absentiae, nec ipse censebitur contumax, neque valebunt attestations testimonium ipso absente receptæ; sed erunt in irritum revocandæ, sicut et sententia inde secuta. Glossa in cit. cap. II. § *Inevitabili.* h. t. et Abbas ibid. n. 11. et 12. alique doctores, quos citat, et sequitur Farinacius quæst. 72. *de Testib.* n. 20. Idque clare patet ex d. Auth. *de Testib.* § *Et hic vero.* atque ex textu cit. cap. II. h. t. argumento a sensu contrario

desumpto: et concordat c. *Cum Bertoldus.* 18. *de Sent. et re judicat.* et l. *Si prætor juserit.* § *fin.* ff. *de Judiciis.*

§ XV.

DE EXAMINE TESTIUM, AC INTERROGATORIIS SUGGESTIVIS VITANDIS.

497. *Testes sunt examinandi ab ipsomet judice.* — Quæritur I. A quo, coram quibus, et ubi examen testimonium sit instituendum? Resp. I. Testes sunt examinandi ab ipsomet judice: utpote qui in persona testimonium diligenter explorare debet, cujus conditionis, « et cujus dignitatis, et cujus existimationis sint, et qui simpliciter visi sint dicere: utrum unum eundemque; et præmeditatum sermonem attulerint: an ad ea, quæ interrogaverit, ex tempore verisimilia responderint. » Textus est in l. 3. ff. h. t. ubi pluribus officium, atque potestas judicis in examinandis testimonibus, et discutiendis argumentis, quanta fides habenda sit testimonibus, declaratur. Concordat Auth. *Ut defuncti, seu funera,* etc. § *Illud etiam.* collat. 5. ubi ipsimet administratores (id est, ordinarii judices, ut explicat Glossa § *Administratores*) per seipsos jubentur examinare testes, ut possint istos terrere, et si opus fuerit, juxta Glossam ibid. § *Testibus,* etiam per torturam cogere ad ferendum testimonium: nisi forsitan alii publicis occupationibus impediti, examen istud testimonium inferioribus consiliariis delegare cogantur.

498. *Qui tamen ex causa potest examen testimonium alteri committere.* — Et notanter hoc ultimum additur. Quia si judex ordinarius justis de causis impeditus testes personaliter examinare nequiverit, aut ipsimet testes remote abfuerint, ita ut difficulter ad eum accedere valeant; tunc judex poterit alteri, puta, consiliario suo, aut alteri idoneæ personæ, vices suas delegare, eique examen testimonium committere: ita tamen, ut ipse postea causam audiat, sententiamque sibi reservet, ac proferat, cit. § *Illud etiam.* Concordat textus in l. *Judices,* juncta Glossa, et summario. c. *de Fide instrument.* ubi disponitur, quod judices possint committere examinationem absentium testimonium judici illius territorii, ubi testes degunt, et commonere partes ut adsint delationi juramenti ab ipsis testimonibus præstandi. Quinimo ad excipiendum testimonium mulierum, quæ personaliter ad judicium invitæ trahendæ non sunt, posse transmitti ta-

bellionem, aut aliam personam idoneam, habetur decisum cap. II. *de Judiciis,* in 6.

499. *Testes sunt examinandi secreto, et singillatim.* — Resp. II. Testes sunt examinandi secreto, ac singillatim; etsi per hoc non excludatur præsentia notarii, eorum depositiones in scripta redigentis. Ita speculator tit. *de Teste.* § *Nunc tractandum.* n. 2; Abbas c. *Cum causam.* 37. n. 5. h. t. et alii. Prior pars constat ex c. *Venerabili.* 52. juncta Glossa § *Examinare.* h. t. et l. *Nullum.* c. eod. et c. *Inquisitionis.* § *Tertiæ de Accusation.* ibi: « Qui post juramentum interrogati secreto. » Idque merito fit exemplo Danielis, qui secreto ac separatim examinavit ducem senes, qui accusabant castam Susannam. Alioquin enim, si non ita secreto et singillatim testes examinarentur, sed omnes simul et semel interrogarentur, periculum foret, ne unus instrueret alterum, sicque omnibus eodem modo respondentibus, falsitas deprehendi non posset.

500. *Etsi per hoc non excludatur præsentia notarii, eorum depositiones conscribentis.* — Altera vero pars constat ex c. *Quoniam contra.* 11. *de Probation.* ubi judex in judicio jubetur adhibere publicam personam, sive notarium, aut alios duos viros idoneos, qui fideliter inter alia acta judicii conscribant « testimonium depositiones: » et consequenter notarius ille, aut alii duo viri idonei debent interesse examini testimonium, horumque depositiones audire. Nam id, quod dicitur, testes secreto, ac nemine audiente esse examinandos, refertur tum ad partem litigantem, quæ non potest interesse examini, et depositioni testimonium, ne forsitan ejus præsentia deterriti, vereantur libere veritatem edicere: tum ad alios simul testificaturos, qui pariter cæterorum depositiones audire non debent, ne ab illis instruantur, quod dicant. Neutiquam tamen illud refertur ad notarium, aut illos alios duos viros idoneos, qui necesse habent acta judicii conscribere. Sicut a simili in c. *Quia propter.* 42. *de Election.* jubetur electio prælatorum fieri secreta, ac singillatim: haud obstante, quod tres de collegio fide digni assumantur, qui vota singulorum eligentium in scriptis redigant; imo et notarius publicus, alique testes extranei ad negotium illud electionis assumi valeant; prout jam alibi, videlicet lib. I. tit. VI. *De Electione.* § 5. n. 124. et 126. dictum fuit.

501. *In examine testimonium super crimine hæresis, præter notarium, adhibentur alie duæ discretæ personæ.* Consultum est, ut idem fiat

in aliis causis multum arduis. — Accedit textus notabilis in c. *Ut Officium.* § *Quia vero de Hæretic.* in 6. ubi in causa hæresis, propter negotii gravitatem, et ad præcavendum quemlibet errorem, mandat pontifex, ut inquisitores in examine testimonium, super crimine præfato recipiendorum, præter publicum notarium adhibeant alias duas religiosas et discretas personas. Atque, ut hoc ipsum judex faciat in aliis causis multum arduis, adhibendo videlicet in examine testimonium præter notarium alios duos fide dignos viros, ne unquam de ejus fide dubitari contingat: monet Abbas c. *Cum causam.* 33. n. 5. h. t.; Baldus in l. *Nullum.* n. 5. c. eod. et Felinus c. *Venerabili.* n. 3. h. t. Id ipsum consulunt plures alii, quos pro hac sententia allegat Farinacius *de Testib.* quæst. 80. n. 93. et 96. quamvis ipse dicat, communem observantiam esse in contrarium, seque nunquam vidisse talem cautelam servari.

502. *Examinatio testimonium regulariter fit in loco judicii.* — Resp. III. Receptio, atque examinatio testimonium, regulariter in loco judicii per ipsummet judicem die non feriato institui debet; et, nisi necessitas aliud exposcat, ante prandium, dum testes adhuc jejuni, et melius sibi præsentem existunt, cap. I. juncta Glossa fin. h. t.; ac notat Engel h. t. n. 48. post Sutingerus observat. 54. et seqq.

503. *Quamvis etiam extra judicium et ubi vis locorum fieri possit.* — Additur tamen, « regulariter. » Nam quod examinatio testimonium, si opus fuerit, aut expedire videatur, etiam extra judicium, et ubique locorum fieri possit: notat Abbas in c. *Quoniam contra.* n. 31. *de Probat.* id desumens ex textu ibidem, dum notarius jubetur in actis judicii scribere depositiones testimonium. « loca designando, tempora. » etc. Id ipsum declaratur inductione.

504. *Personæ egregiæ domi suæ examinari debent.* — Sic quippe personæ egregiæ, quando producuntur in testes, domi suæ examinari possunt, ac debent, l. *Ac personas.* ff. *de Jurejurand.* ubi dicitur: « Ad personas egregias, eosque qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jusjurandum. »

505. *Inter has connumerantur episcopi, sacerdotes alique clerici, item personæ illustres, doctores et milites.* — Porro inter « personas egregias » connumerantur episcopi, sacerdotes, alique clerici, eo quod sint constituti in altiore gradu Ecclesiæ; ac notat Abbas c.; *Si qui testimonium.* n. 5. et 6. h. t.; Pi-

rhing eod. n. 189; Farinacius, *de Testib.* quæst. 77. n. 213. citans alios. Item personæ illustres, et in dignitate constitutæ. Felinus c. *Si qui testium.* n. 6. h. t.; Farinacius cit. quæst. 77. n. 210; Pirhing h. t. n. 189. Item doctores. Abbas in d. c. *Si qui testium.* n. 5. Farinacius n. 214. Et milites. Farinacius loc. cit. n. 223. allegans alios.

506. *Ad personas egregias quando producuntur in testes, debet iudex domum mittere pro excipiendi earum juramento, et testimonio. Idem dicendum de testibus valetudinariis, senibus, feminis, etc.* — Atque ad hujusmodi personas egregias, quando producuntur in testes, debet iudex in earum domum mittere notarium, vel alios idoneos viros, qui illarum juramentum, et testimonium fideliter excipiant, iudicique deferant, juxta cit. l. *Ad personas.* ff. *de Jurejurand.* etsi istud quoad clericos, præsertim inferiores, in plerisque dicasteriis ecclesiasticis non sit usu receptum. Id ipsum est dicendum de aliis personis privilegiatis: ut sunt femine, præsertim religiosæ, cap. n. *de Judiciis* in 6. Item testes valetudinarii, et senes, vel debilitate confecti, aut paupertate depressi, ita quod non possint ad præsentiam iudicis adduci: nam etiam ad horum testimonium recipiendum iudex mittere debet personas idoneas, ac discretas, juxta textum expressum in cit. c. *Si qui testium.* n. 8. h. t.

507. *Sacerdotes, aliæque personæ ecclesiasticæ, si producuntur in testes coram sæculari iudice, non jurant neque doponunt coram eo, sed coram episcopo.* — Illud tamen non est prætereundum, quod sacerdotes, aliæque personæ ecclesiasticæ privilegio fori gaudentes, quando producuntur in testes coram sæculari iudice, non jurent, neque examinentur coram eo, sed coram episcopo, vel prælato suo ecclesiastico, aut coram eo, cui is commiserit: prout inter alios observat Abbas c. *Si quis testium* n. 5. h. t. et patet ex can. *Quamquam.* 14. q. 2. juncta Glossa ibid. *¶. Coram se.* Nec mirum, nam hoc ipsum contingit in laicis, quando eorum testimonium petitur a iudice alterius territorii: quia tunc jurant, atque testificantur coram suo iudice, qui eorum attestations clausas, suoque sigillo obsignatas mittit ad alterum, Auth. *Apud eloquentissimum.* c. *de Fide instrument.* Speculator tit. *de Teste.* § *Sequitur.* n. 5. estque uberius dictum supra § 13. n. 434. et seqq.

508. *Testes, de quibus sint interrogandi, seu*

examinandi? — Queritur II. De quibus testes sint interrogandi, seu examinandi? Resp. I. In examine testium proponuntur ipsis interrogatoria partim generalia, partim specialia; eorumque dicta, quantum ad verba etiam formalia prout fieri potest, protocollari debent. Ita in re communis. Et quidem.

509. *Interrogatoria generalia, quæ?* — « Interrogatoria generalia » sunt primo, quo nomine testis vocetur? Cujus sit ætatis, et conditionis? Deinde, an sit conjunctus producenti? An inimicus parti adversæ? An non subornatus? An non cum aliis testibus convenerit, quid dicere velit? An non in causa controversa interesse habeat? et hujusmodi, de quibus hactenus plura.

510. *Interrogatoria specialia, quæ?* — « Interrogatoria specialia » sunt, quæ ex facto controverso, ejusque circumstantiis desumuntur. Et horum generatim sunt decem, quæ enumerat, atque in testibus singillatim examinanda decrevit pontifex in c. *Cum causam.* 37. h. t. mandans episcopo Placentino, « Quatenus recipiat testes, quos utraque pars duxerit producendos: ac eos diligenter examinari procuret: et de singulis circumstantiis diligenter inquirens, de causis videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, et certitudine, cuncta plene conscribat. » Hæc ibi. Quibus verbis interrogatoria specialia, breviter quidem, simul tamen exacte comprehenduntur, atque numerum denarium constituunt; et in sequentibus versiculis, ibidem a Glossa relatis apte continentur.

Auditus, visus, persona, scientia, causa,
Fama, locus, tempus, ac certum, credulitasque
Dum testes recipit, iudex hæc cuncta notabit.

511. *Testes sunt diligenter examinandi de causis. Testis tenetur reddere causam suæ scientiæ, si interrogatur.* — Resp. II. Discurrendo per singula hæc decem interrogatoria specialia, juxta ordinem a pontifice observatum, iudex imprimis tenetur diligenter examinare testes *de causis:* tum rei gestæ; videlicet cur, et qua occasione initium sumpserit: tum suæ scientiæ; hoc est, an, et qualiter testes producti sciant negotium ista gestum esse. Siquidem testis debet reddere causam suæ scientiæ, quam si interrogatus non reddiderit, non valebit dictum ejus, neque fidem faciet; ut l. *Solam* c. h. t. et can. *Si testes.* § *Sola* 4. q. 3. juncta Glossa ibid et Auth. *de Testibus.* § *Et licet.* collat. 7. cum similibus.

Et merito: quia scire, est rem per causam cognoscere; ergo hoc ipso non censetur scire, qui nescit reddere rationem dicti sui. Farinacius quæst. 70. *de Testib.* n. 1. allegans alios.

512. *Secus, si non interrogetur.* — Additur vero, « quam si interrogatus non reddiderit, » etc. Quia testis non interrogatus de ratione, seu causa scientiæ suæ, non tenetur eam reddere. Glossa cit. c. *Cum causam* 37. *¶. De causis.* et Abbas ibid. n. 6. h. t. Farinacius d. quæst. 70. n. 91. cum aliis. Neque ideo invalidum erit testimonium ejus, c. *Sicut nobis.* 16. juncta Glossa *¶. De causis. de Sentent. et re judicat.* et l. *De pupillo* § *Qui opus.* ff. *de Novi oper. nuntiat.* Siquidem testis ille dixit omnia, quæ novit, etsi non dixerit causam eorum. Glossa can. *Si testes* 4. q. 3. *¶. Attestatione.* Nec enim hanc non interrogatus dicere tenebatur, quia non debet esse verbosus. Glossa magna in cit. l. *Solam.* c. h. t. Quamquam si iudex malitiose omisisset interrogare testem de causa, sciens forsitan, eum non redditurum sufficientem suæ scientiæ causam; non solum in foro externo (si istud probari posset) sed etiam in foro conscientiæ, sed penitentiali, teneretur parti læsæ ad interesse, seu ad compensationem damni illati. Abbas cit. c. *Cum causam.* n. 7. h. t.

513. *Testes sunt examinandi de singulis circumstantiis; puta, de personis, loco et tempore.* — Deinde testes diligenter examinandi sunt de singulis circumstantiis, prout iudex arbitratur fore necessarium, vel utile: quia aliter ad veritatem non perveniretur, can. *Occidit.* 23. q. 8. Hinc testes sunt examinandi *de personis:* tum illis, quas tangit negotium principale; puta, an eas testis probe noverit, quares sint, cujusque conditionis, etc. tum de aliis, quæ forsitan rei gestæ interfuerunt. Item *de loco,* exemplo Danielis duos senes interrogantis, sub qua arbore viderint Sannam adulterantem. Ac *de tempore,* quo aliquid dicitur factum: quia, si testes discordent in loco, vel tempore, tunc veluti inter se contrarii nihil probant; prout jam supra dictum § 10. n. 322.

514. *Testes sunt interrogandi de visu et auditu.* — Rursus testes sunt interrogandi *de visu:* hoc est, an proprio sensu corporeo rem gestam perceperint, viderintque, v. g. quod Titius percusserit Caium: quia bene potest contingere, quod quis præsens fuerit, sed ad alia intentus, non viderit quod actum fuit.

Item *de auditu:* quando videlicet vel res gesta, puta blasphemia, non nisi sensu auditus erat perceptibilis; vel quando testis interrogatur de iis quæ audivit a majoribus suis dici, sicque debet testificari de auditu alieno; ut similiter jam dictum superius § 11. n. 364. et seqq.

515. *Testes sunt interrogandi de scientia, et de credulitate; ac de fama, et certitudine.* — Ulterius testes sunt interrogandi *de scientia:* an nimirum illud, quod deponunt, vere sciant, seu proprio sensu corporeo veraciter et indubitanter perceperint, riteque adhuc omnium recordentur, etc. Ac *de credulitate:* seu, num credant rem ita se habere, prout asserunt; præsertim, quando solum deponunt de conjecturis, aliisque indiciis rei gestæ, ipsam tamen propriis oculis non perceperunt. Item *de fama:* quæ de ejusmodi facto, aut negotio, in populo habetur. Et *de certitudine:* an scilicet certi sint de eo, quod testificantur, qualemque desuper certitudinem acquisierint, etc. Textus, Glossa, et doctores in cit. c. *Cum causam.* 37. h. t.

516. *Interrogatoria suggestiva, quæ? Testes interrogari per suggestionem, quid?* — Queritur III. Quid sint interrogatoria suggestiva, et qualiter vitanda? Resp. I. « Interrogatoria suggestiva » dicuntur ea, quæ fiunt de aliquibus in specie, sive exprimendo speciales personas, circumstantias, et qualitates aliqujus causæ civilis, vel criminalis, seu rei gestæ, aut commissi criminis. Prout contingit, si iudex interroget testem, an viderit, quod « Titius occiderit, Caium tali die, in tali loco, percutiendo ipsum gladio, vulnerando in pectore, » etc. Hac enim ratione dicitur testis « interrogari per suggestionem, » suggerendo videlicet, seu ipsi indicando, quid respondeat: puta, « Ita vidi, quod Titius occiderit Caium tali die et loco, gladio ipsum percutiendo in pectore, » etc. Sigism. Scaccia lib. I. *de Judiciis,* cap. LXXXVI. et Farinacius t. III. *Praxis criminalis,* quæst. 84. n. 91. et 92.

517. *Suggestio alia aperta, alia palliata, quid?* — Porro duplex est suggestio, una aperta, alia palliata: « Suggestio aperta » dicitur, quando de ea aperte, seu clare constat ex ipsamet facta interrogatione; uti fit in proximo allato exemplo. « Suggestio palliata » econtra censetur, si tecto aliquo modo aperitur via respondendi, sed de ea ex interrogatione non apparet: idque accidit dupliciter. Primo, quando nullo modo apparet, de

qua re testis fuerit interrogatus: ut puta, si in Actis scribatur: « Ad opportunam interrogationem respondit, » etc. sic enim libera datur via respondendi. Secundo, quando interrogans praevenit testem in responsione, quasi subtiliter ei indicando modum respondendi, aut (si ipsemet reus interrogetur) modum evadendi. Scaccia cit. quæst. 86. n. 8. et n. 40. asserens cum aliis, hoc genus suggestionis esse valde perniciosum. Farinacius d. n. 91. et 92. ubi tamen n. 89. post alios notavit, in iudicis arbitrio esse positum, quæ dicantur interrogatoria suggestiva, et quæ non.

518. *Interrogatoria suggestiva sunt prohibita, et vitanda.* — Resp. II. Interrogatoria suggestiva sunt vitanda, et in jure prohibita; teneturque iudex ab ipsis abstinere non solum quando tendunt in damnum rei, sed etiam, quando tendunt in damnum fisci. Ita Scaccia cit. quæst. 86. n. 8 et 40; Farinacius de Testibus, quæst. 79. n. 78. et communis. Idque patet ex textu aperto in l. I. § Qui questionem. ff. de Questionib. ubi dicitur: « Qui questionem habiturus est, non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit; sed generaliter, quis id fecerit: alterum enim magis suggestentis, quam requirentis videtur, » etc.

519. *Interrogationes testium debent fieri in genere, gradatim descendendo ad magis specialia.* — Infertur proinde, quod interrogationes testium solum debeant fieri in genere: puta, utrum sciant delictum esse perpetratum, quale, a quo, et quando illud sit commissum, quo modo, quibus cooperantibus, etc. semper a generalioribus gradatim descendendo ad magis specialia. Idemque dicendum, quando testes producuntur super causis civilibus: quia in his quoque iudici abstinendum est ab interrogatoriis suggestivis, ne testes facile assentiendo deponant ea, quæ a veritate sunt aliena, nec antehac ab ipsis cogitata, cum potius assenserint suggerenti, ne forsitan displiceant, quam interroganti ex proprio responderint.

520. *Idem procedit in examine rei super crimine admissio.* — Atque hoc ipsum procedit in examine rei super crimine admissio. Nam etiam reus, quando in processu criminali interrogatur super quopiam crimine, non nisi juris ordine servato interrogari debet: ac proinde nequam per interrogationes suggestivas, juxta cit. l. I. § Qui questionem. ubi Bartolus, et alii. ff. de Question. Hinc iudex

non illico debet interrogare reum, an ipse occiderit Caium, an mœchatus sit cum Bertha, etc. sed incipiendo ab indiciis, et quidem a generalioribus, et descendendo ad particularia, quasi per circuitum, et a longe, debet formare suas interrogationes: v. g. An interfuerit, dum Caius occisus est; an sciat, quis percusserit Caium; an ipse habuerit cum eo rixas, etc. sicque paulatim descendendo ad qualitates, et circumstantias speciales, juxta quod indicia magis magisque se produnt; ac demum deveniendo ad ipsum delictum in specie. Sigism. Scaccia l. I. de Judiciis. cap. LXXXVI. n. 39; Farinacius tom. III. Praxis criminal. quæst. 83. n. 84. et seqq. citans alios; atque istud n. 97. limitans, quando indicia commissi criminis sunt manifesta: quia tunc reus potest etiam in specie interrogari de crimine.

521. *Adeo, ut confessio rei per suggestionem extortæ, sufficiat ad condemnandum.* — Quod si secus accidat, et reus per interrogatoria suggestiva deceptus crimen fateatur: tunc ejusmodi confessio per suggestionem extorta non præcedentibus signis, non sufficit ad condemnandum, omniaque inde secuta, ipso jure nulla sunt ac invalida. Scaccia d. lib. I. cap. LXXXVI. n. 7. et 40. et Farinacius cit. tom. III. quæst. 83. n. 84. allegans plures alios; et tradit novissime Ludov. de Ameno in Practica criminali, tit. XIX. § 4. n. 17. asserens, ita tenere doctores communiter; atque hoc ipsum subjungens de teste suggestivè interrogato. Nec immerito: nam « quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, » ut dicitur, reg. 64. juris in 6. et can. Imperialis. 25. q. 2. et l. Non dubium. c. de Legib.

§ XVI.

DE PUBLICATIONE ATTESTATIONUM.

522. *Publicatio attestatumum, quid sit, qualiter fiat, et an post ipsam liceat alios testes, vel instrumenta producere? Remissive.* — Queritur I. Quid sit publicatio attestatumum, qualiter fiat, et an post ipsam liceat alios testes, vel instrumenta producere? Resp. De hoc, occasione aliarum materialiarum tunc occurrentium, ex professo jam dictum est tit. præced. § 6. a n. 148. usque ad n. 158. Ibi videatur.

523. *Publicatio attestatumum non est de substantia processus judiciarii, bene tamen de*

§ XVI. DE PUBLICATIONE ATTESTATIONUM.

ejus justitia. — Queritur I. Utrum publicatio attestatumum sit de substantia processus judiciarii? Resp. I. Publicatio attestatumum, per quam videlicet examinatione testium peracta, horum attestaciones in secreto receptæ, utraque parte præsentate (nisi aliqua rite citata contumaciter absit) a iudice publicantur, seu publice prælegantur, non est de substantia processus judiciarii, bene tamen de ejus justitia: adeoque ommissio publicationis attestatumum non vitiat processum, valetque sententia inde secuta, et transit in rem judicatam, nisi intra decennium ab ea fuerit appellatum; potest tamen pars litigans petere harum publicationem, et iudice recusante eam facere, appellare. Ita Innocentius, et Abbas in c. Cum I. et A. n. 10; Joan. Andreas ibid. n. 8. et Felinus n. 1. aliique doctores de Sentent. et re judicat.; Menochius de Arbitrar. Judic. lib. I. quæst. 33. n. 1. Maranta part. IV. Speculi aurei. dist. 9. n. 22; Gailus lib. I. Practic. observat. 105. n. 5. asserens, ita communiter receptum esse, contra Accursium in l. Prolatam. c. de Sentent. et interlocut. omn. judic.; Farinacius de Testib. quæst. 75. n. 5. citans alios.

524. *Idque probatur.* — Conclusio hæc desumitur ex cit. c. Cum I. et A. 22. de Sentent. et re judicata: ubi pontifex, post interpositam ad se appellationem, novis iudicibus delegatis mandat, ut servatis servandis confirmet processum, quem alii iudices formant, sententiamque tolerant testium « depositionibus coram partibus minime publicatis, nec ostensis eisdem. » Quem textum Innocentius ibid. et Glossa marginalis, dicit esse singularem ad hoc, quod attestatumum publicatio sit de justitia, non autem de substantia processus. Accedit ratio, quia iudici semper publicatæ sunt attestaciones, seu nota acta iudicii, et partium jura; ut inquit Menochius cit. q. 33. n. 1. et 11. et Pirhing h. t. n. 202. unde cum his optime instructus sit de jure partium ex attestacionibus testium sibi cognitis, ferre sententiam poterit, lataque valebit, nisi ab ea appellatum fuerit.

525. *Attestaciones receptæ in uno iudicio, sed non publicatæ, fidem non faciunt in alio, etiam inter easdem personas.* — Queritur II. Utrum attestaciones testium receptæ, sed non publicatæ in uno iudicio, probent, seu fidem faciant in alio? Resp. I. Attestaciones receptæ in uno iudicio, sed non publicatæ, fidem non faciunt in alio iudicio, etiam inter easdem personas. Ita Felinus c. Causam quæ. il.

1. n. 13. h. t. allegans pro se Glossam, Jacob. de Aretio, et Bartolum in l. Gesta. c. de Re judicat. Menochius de Arbitrar. Judic. lib. I. q. 33. n. 7. et 8; Pirhing h. t. n. 203. et seqq.; Farinacius cit. quæst. 75. n. 10. 12. et seqq. cum aliis pluribus, contra Abbatem in cit. c. Causam quæ. 11. n. 2. et nonnullos alios, qui volunt, testes in uno iudicio receptos fidem facere in alio, quamvis non fuerint publicati. Ratio conclusionis est: quia iudex alterius iudicii non ita notam habet qualitatem testium, neque adeo potest esse instructus de jure partium, sicuti prior iudex, qui testes examinavit: unde non mirum, quod aliter de hoc, quam de illo dicatur.

526. *Idque probatur.* — Accedit textus in c. Cum causam. 37. § fin. h. t. ubi pontifex mandat, ut per novos iudices a se delegatos iidem testes, qui jam antea fuerant recepti, sed nondum publicati (parte adversa eorum depositiones non ratificante) iterato producantur, ea addita ratione: « Cum attestaciones illæ sint clausæ: » sicque totum defectum nullitatis illarum attestacionum, seu cur coram novis iudicibus datis fuerint repetendæ, refundit pontifex in defectum publicationis earum, seu quia adhuc fuerunt clausæ. Accedit textus in l. Gesta. c. de Re judicat. ubi tum demum gesta sub priore iudice censentur habere firmitatem perpetuam, quando « sunt translata in publica monumenta (hoc est, quando gesta, seu acta illa sunt in scriptis translata, facta scilicet publicatione coram eo, apud quem sit publicandi facultas, » arg. l. Publicati, c. de Testament. prout Glossa ibid. §. Gesta, explicat.) « Neque enim morte cognitoris perire debet publica fides: » id est, Acta publicata non pereunt morte iudicis, ut subjungit textus in cit. l. Gesta. juncta Glossa fin.

527. *Solvitur instantia.* — Nec obstat cap. ult. de Probat. Glossa ibid. §. Iudices, absolute dicens, quod attestaciones in uno iudicio receptæ, valent in alio, Auth. de Testibus. § Quoniam. collat. 7. cum similibus. Resp. enim, concordando jura iuribus, hujusmodi auctoritates esse intelligendas de testibus in priori iudicio receptis, simul et publicatis: alioquin enim saltem foret contra justitiam, attestacionibus nondum publicatis, simulque partibus invitis, ferre sententiam. Jura autem non intendunt aliquam injustitiam fovere, seu approbare, multo minus committendam tradere.